

HISTORIA CARDUELIS



CARDUELIS (*Carduelis carduelis*) est species avium Familiae *Fringillidarum*. Quae incolit Eurasiam ab Europâ occidentali usque ad Asiam centralem et Sibiriam mediam et Africam septentrionalem. Introducinga est in Americam australem et Australiam et Neo-Zelandiam et nonnullas insulas Oceaniae. Eius nutrimenta sunt semina semimatura maturaque fruticum, plantarum pratensium, arborum. Haec species avium in praesenti non est in periculo, ne emoriatur. *Unio Naturae Protegenda Germanica* et *Unio Aves Protegendi Bavarica* carduelem elegerunt „*Avem Germaniae Anni 2016*“.

PLINIUS, Naturalis Historia X 116: ... Minimae avium **cardueles** imperata faciunt nec voce tantum, sed pedibus et ore pro manibus.

PLATINA (ap. Gesnerum, v.infra): Nollem **cardueles** devorari, plus enim voce quam patina hominem delectant, imperata enim faciunt, et pedibus atque ore pro manibus utuntur; ut is quem in cubiculo *Francisci Gonziaci Cardinalis*, cibum ac potum duobus vasculis aequilibribus funiculo ad se trahentem, cum voluptate pariter et admiratione cernimus, *Platina*.

Thesaurus linguae Latinae 03, 447, s.v. carduelis, lin.7-15:

carduēlis -is f. [*a carduus. Th.*] *nomen avis*: PROB.Verg.georg.3,338 acalantis est ea, quae graece dicitur ἀκαλανθίς, dicta est latine a carduo. SERV.ad.l. acalantis...alii...carduelem (carduelim et carduelum codd.) quae spinis et carduis pascitur (cf. ISID.orig.12,7,74). GLOSS.III 258,10 ὁ ἀστραγαλῖνος, ἡ ἀκανθυλλίς carduelis (89,74 astragalinos car<d>ullus). V161,27 i.q. 441,33. PLIN.nat.10,116 minimae avium cardueles imperata faciunt, 1,10,57. *forma* carduelis: PETRON.46 iam tres cardueles occidi (cf. Goetz, comm.Wölfflin p.127). **carduelus**: GLOSS.III 89,74 l.11 et SERV. l.9 v. etiam: cardellus.

Thesaurus linguae Latinae 03, 441, s.v. cardel(l)us, lin.30-40:

cardel(l)us -ī m. *a carduus vel cardus deminutive*: 1 *nomen herbae* ‚carduus‘: GLOSS.IV5,39 achantus (i. ἄκανθος) 2 *nomen avis* (ἀκανθίς, carduelis): *scribitur* -ellus: GLOSS.V161,27 acalant<h>us cardellus, *alibi* carduelis II 97,46 ἀστραγαλῖνος (III 188,7. 319,52). 222,19 ἀκανθυλλίς (III 360,68. 488,10. cf. 319,51 ἀκάνθυλλος). V 274,31 genus avis cristati. POL.SILV.nom.anim.chron. I 543,17 cardolus (*o expunctum, correctum in e*) inter nomina volucrum. [it. cardello. M.-L.] fem. cardella thisti. (anglosax. i.q. ‚carduus‘) GLOSS. V 353,51. *adde nomina propr.* Cardēlus et Cardēla. v. nom. propr. Stadler



INDEX NOMINUM CARDUELIS POLYGLOTTUS

- albo-rutenicê: **щчыгол**
- anglicê: **goldfinch**
- arabicê: حسون أوراسي
- batavicê: **putter, distelvink**
- catalanicê: **cadernera**
- bohemicê: **stehlík**
- coreanicê: 오색방울새
- croaticê: **česljugar**
- dacoromanicê: **sticlete**
- danicê: **stillids, stillits**
- esperanticê: **kardelo**
- estonicê: **ohakalind**
- finnicê: **tikli**
- francogallicê: **chardonneret élégant**
- galicicê: **xílgaro**
- hispanicê: **jilguero**
- hungaricê: **tengelic**
- iaponicê: ゴシキヒワ
- islandicê: **pistilfinka**
- italicê: **cardellino**
- lituanicê: **dagilis**
- lusitanicê: **pintassilgo-comum**
- neograecê: καρδερίνα
- norvegicê: **stillits**
- palaeograecê: ἀκανθίς, ἀκαλανθίς
- polonicê: **szczygieł**
- rutenicê: **щегол**
- sinicê: 紅額金翅雀
- sueticê: **steglits**
- theodiscê: **Distelfink, Stieglitz**
- turcicê: **saka kuşu**
- ukrainicê: **щиглик**
- vietnamicê: **Sẻ thông vàng châu Âu**

Descriptio

Species, quae nomine systematico appellatur *Carduelis carduelis*, est – sicut omnes species huius generis – staturâ gracili, collo brevi, pedibus tenuibus. Quae insignis est personâ faciali fortiter nigro-rubrâ, capite albo, quod est lateribus collaribus albis et cervice nigrâ nigroque capite superiore. Alae sunt fasciâ distinctâ, latâ, lucidê flavâ. Quae in formâ nominotypicâ sunt maximam partem nigrae. Dorsum est lucidê fuscum, uropygium album. Cauda in parte finali leviter furcata est coloris nigri cum maculis albis in tertiâ parte cuspidali sitis. Latus inferior in pectore et partibus lateralibus est coloris fuscilli. Rostrum coloris eburnei est longum et acutum. Tempore prolifico rostrum est purê album, alioquin in summo rostro est notâ nigrâ. Cardueles sunt longitudine corporali 12 vel 13 centimetrorum. Apertura alaris est 21-25 centimetrorum et pondus corporis plerumque est inter 14 et 19 gramma.

Carduelis est levi tantum *dimorphismo sexuum*. Mas enim est personâ faciali maiore et obscuriore, quae partim assequitur angulum oculi posteriorem. Pennae ventrales inferiores sunt coloris flaveoli. Speculum alarum est intensius atque dilucidius, pennae tectrices minores sunt nigrae. Rostrum maris acutius et novenis ferê centesimis (9%) longius quam rostrum feminae. Praeterea apex rostri est incurvus. Femina habet caput aliquanto rotundius, cuius persona facialis non assequitur dimidiam partem oculi, ut rubedo gutturis sit minor. Pennae ventrales inferiores sunt viridi-flavae. Pennae tectrices minores sunt fuscae vel griseo-fuscae. Rostrum summum solet esse rectum, sed per exceptionem simile est rostro maris. Pulli in capite fusco nullum habent colorem insignem. Latus superior coloris griseoli vel flavifusci est fasciatum et maculatum. Alae sunt nigriflavae et cauda nigra. Pullus nidicolus instructus est longis plumis obscurê griseis. Pharynx est rubedine carmesinâ, palatum est purpureum, tori marginales sunt albi. Cardueles et iuvenes et adultae pennas mutant intra menses Iulium et Augustum.

Carduelis humi salit scaevê, sed in arboribus, fruticibus aut aliis in plantis scit niti. Volatus eius est undiformis et satis stabilis; color alarum flavus est insignis.

Vox et cantus

Vocatio contactualis constat ex compluribus elementis, qualia sunt *dudidelet* aut *didudit*. Cardueles excitatae êdunt sonum acutum, qui est *zidi*. *Vocatio aggressionis* constat ex duro et stridulo *tschrr*. Hae vocationes audiuntur intra volatum. Pulli volatiles mendicantur sonis, q.d. *di-wet-wet di-wet-wet*.

Cantus ipsius carduelis est stropha, quae recitatur magnâ cum festinatione atque motibus pendulis. Qui saepe incohatur citatâ sequentiâ vocationum carduelis friggittente, quam sequuntur complures vibrissationes et ornamenta. Interea carduelis adhibet etiam elementa nasalia. Pars finalis est sonus, quae theodiscê transcribitur per „*knätsch*“, similis est sono „*dsäi*“ aviculae, cui nomen systematicum est *Spinus spinus*. Cantus valet ad regionem nidi signandam, praeterea cantando augetur sensus communitatis in grege, cui insunt complures mares. Praeter *tempus pennas mutandi*

carduelis cantat per totum annum. Cantat plerumque ex altâ *sede cantandi*, raro etiam in *volatu cantatorio*. Cantum iam discunt pulli iuvenissimi a mare praecantante.

Subspecies carduelis habent generale programma cantandi non mutatum, id est distributio cantandi rhythmica sonis singulis superordinata omnibus subspeciebus est aequalis et in strophas disposita. E contrario talis formatio stropharum in tribus speciebus generis, q.e. *Chloris*, uniformiter deest: *Chloris chloris*, *Chloris spinoides*, *Chloris sinica*.

Etiam cardueles feminae cantant, sed non tam fortiter et perseveranter quam mares.



Carduelis volans (*brevi ante appulsum terrestrem*).

altiorum, quae sunt usu extensivo et magnis areis herbarum ferarum areisque ruderalibus fruticum variorum. Cardueles inveniuntur in marginibus silvarum, in pratis pomorum variorum, in arboretis vel fruticetis campestribus, in plāgis saepium, in ripis fluviorum. Si in propinquo sunt loca ruderalia, carduelis petit etiam fodinas silicarias, hortos vetustos, coemeteria, vineta, ambulacra, viridaria. Elementa habitandi graviora sunt arbores singulae et plantae seminiferae. In plāgâ cultâ cardueli multum valent vervacta, semitae sarcinariae, pomaria stipitum aliorum, areae ruderales, horti naturales in coloniis siti. Si carduelis in planitie non invenit regionem prolis curandae aptam, petit laxos lucos betullarum atque pinuum altius sitos. Autumno atque hieme praecipuê versatur in plāgis apertis, ubi restant frutices, e.g. in viarum marginibus aut locis ruderalibus.



Ecce *Carduelis carduelis* mas avicula pulcherrima Familiae *Fringillidarum*.

Nutrimenta et nutritio

Carduelis se nutrit seminibus semimaturis maturisque fruticum, plantarum pratensium, arborum. Ex 152 herbis feris, quarum semina a carduele comedi inventum est, eadem avis praefert semina plantarum, quae sunt: *Cirsium arvense*, *Sonchus*, *Cirsium*, *Dipsacus*, *Capsella bursa-pastoris*, *Rumex*, *Plantago*, *Filipendula*, *Stellaria media*, *Helianthus annuus*, *Artemisia*, *Centaurea cyanus*, *Persicaria*, *coni*

pinorum, semina betullarum. Tempore prolis curandae carduelis devorat etiam parva *insecta*, praesertim *aphides*.

Carduelis septem modis movendi variis specialiter adaptata est ad semina deglutienda: Quae avis nutrimenta aut ab humo rostro tollit aut ramo insidens caput erigit ad nutrimentum. Praeterea carduelis e ramo dependens capite deorsum verso aut lateraliter dependens capite deorsum verso. E contrario carduelis tenues caules plantarum advolat ab inferiore parte, ut positione corporis laterali lentê et gradatim potest niti in partem superiorem. In eo caulis pondere corporis tantopere deflectitur, ut stet horizontaliter aut se vergit ad humum. Itaque avis facile accedit ad semina. Si caules sunt nimis tenues, carduelis complures circumplectitur, ut coniuncti ferant corpus. Carduelis caulibus sat fortibus annexus ascendit et insidet. Praeterea eadem avis etiam dorso deorsum verso pendet ex fonte nutrimenti. In omnibus motionibus intricatis et in seminibus ad comestionem praeparandis necessarium est, ut rostrum et pes inter se cooperentur.



Carduelis carduelis parva

Semina mollia, immatura rostro contusa statim devorantur. Semina autem matura carduelis primo liberat a glumis. Ex apertis fructescentiis semina rostri eximuntur, sed grana aliquanto profundiora primo corripuntur et deinde evelluntur.



Carduelis semina devorans

Si semina firmiter inclusa sunt, carduelis primum rostro huc illuc movendo dilatata lectum seminis. Semina circumvelata et abdita scalpendo aperiuntur. Hanc methodum pulli primo discunt ab avibus adultis.

Carduelis plantam seminibus abundantem solet perquirere diligenter. Si perturbatur, postea saepe revertitur. Sed nonnulla semina plerumque relinquit.

Biologia proles colendae

Cardueles pubescunt primo anno aetatis suae exeunte. Vivunt connubio prolifico monogamico inter se coniunctae. Proles curatur inter Martium exeuntem sive Aprilem ineuntem et Iulium. Saepe bis in anno fit prolicatio, ova primae proles pariuntur mense Maio.

Petitio nuptialis et coitus

Pro tempestate mas mense Februario aut Martio incipit cantum exercere et meliorem facere. Cum mas per complures septimanas cantum exercuerit, plerumque femina incipit nuptias petere. Hoc eo facit, quod mari appropinquat motu corporis pendulari rostroque demisso. Pennis surrigendis femina conatur obtegere fascias alarum albas. E contrario mas pennas attrahit, ut alis leviter ventilatis ostendat fascias alarum flavas. Quas etiam amplificat alis leviter dilatis.

Ad nuptias petendas mas stat pedibus grallarum similibus, breviter movet alas pendulas, caudam erigit. Simul cantat et corpore oscillat ab uno latere ad alterum. Praeterea pascit feminam. Quae corpus leviter deprimit calcarium articulationibus, alas vibrat, caudam tollit, ut indicat se esse paratam. Deinde fit copulatio, quae fit compluries in die, usque dum omnia ova sint parta. Inter petitionem nuptiarum dominantia a mare transfertur ad feminam.

Nidificatio et proles



Nidus carduelis sex ôvis completus

Femina mare comitante cum locos ad nidum faciendum aptos investigaverit, incipit nidificare. Carduelis ad nidificandum praefert locos altos, qui sunt et latebrae et spēculae quam aptissimae. Saepe eadem eligit locum nidificandi in culminibus arborum aut in altis fruticibus. Saepe etiam locus nidificandi situs est prope furcas ramorum, saepe in ramis extremis. Nidus carduelis, qui est parvus et alveolo similis, a

feminâ diligenter construitur culmis subtilibus, radiculis, musco viridi, lichenibus, fibrisque plantarum. Alveus nidi pariete crasso instructus culmis, culmis, fibris, pennis, lanaque mollificatur. Nidificatio solet incohari medio mense Aprili et fit per quattuor vel sex dies. Tempore prolis curandae mas feminam arboremque vel fruticem, cui inest nidus, custodit contra alias cardueles. Ova pariuntur cottidie horis matutinis prioribus; cum primum ovum paritur, plerumque nidus nondum est perfectus. Solent pari quinque, rarius quattuor aut sex. Ova sunt recessu albido et versus polum obtusum instructa subtilibus maculis coronidibusve rubris et fusco-nigris et ferrugineo-fuscis. Interdum inveniuntur etiam ova prorsus alba. Tertio ovo parto femina sôla incipit ovis incubare. Inter incubationem quae fit per 12 vel maximê 14 dies, femina a mare accipit nutrimenta. Eadem nidum non relinquit nisi ad alvum exonerandam.

Pulli quomodo crescant



Ecce quinque cardueles nidicolae

Pulli ex ôvis excluduntur caeci atque nudi. Primo plerumque tres pulli excluduntur, cum duo reliqui ova relinquunt postridie. Diebus prioribus pulli nidicoli cubant capitibus inter se constipatis, ut invicem calefiant. Parentes putamina ovorum partim degluttunt, partim e nido efferunt. Sex diebus primis femina pullos cibant ex ingluvie nutrimentis, quae accipit a mare. Primo die pulli nullum stercus edunt, a secundo usque ad sextum stercus degluttitur a feminâ, a septimo usque ad duodecimum stercus singulis reliquiis exceptis effertur et denique a pullis in margine nidi deponitur. A quinto usque ad septimum diem pulli oculos aperiunt et a parentibus mendicantur nutrimenta. Nunc cibantur maximê seminibus cardui aliisque seminibus. A die duodecimo aut, si tardissimê, quarto decimo pulli nidicoli periculo imminente nidum possunt relinquere. Interdum hoc iam die octavo possunt facere.

Postquam evolaverunt, pulli in ramis solent sonum edere sedis suae, ut a parentibus pascantur. Eodem tempore femina incipit novum nidum aedificare, ut secunda fiat prolificatio. Ex die vicesimo primo, vel, si tardissimê, ex die vicesimo quinto, pulli devorant suo Marte nutrimenta, aetate 28, vel tardissimê 30 dierum sine parentibus vivere possunt. Periculum pullis imminet a catis, avibus raptoriis, martibus.



Carduelis adulta cum pullo.



Carduelis adulta cibatur duos pullos.

Cardueles liberê viventes aetatem assequuntur summum octo vel novem annorum. In captivitate interdum vivunt per 17 annos.

Consuetudines carduelium

Cardueles sunt *activitate diurnali*. Quae ramum suum dormitorium relinquunt primâ luce, ad eundem redeunt sole occidente. Primis horis matutinis nutrimenta quaerunt quam studiosissimê. Cardueles phasin suam activam saepe interrumpunt phasibus quiescendi et purgandi. Cardueles aut binae aut plures circumiecta perquirunt nutrimenta petentes, quia apta semina et spatio et tempore inaequaliter sunt distributa. Saepe volant ad aquas, ut bibant aut se balneent.

Carduelis semper defendit nidum suum, sed vix umquam suum territorium. Greges prolis curandae trium vel quinque parium saepe inveniuntur. Extra tempus prolis curandae cardueles vivunt in parvis gregibus, sed etiam in communitatibus dormitoriis, quae complectuntur summum 40 cardueles, quae hieme possunt misceri cum examinibus *Carduelis cannabinae* et *Serini serini* et *Chloridis chloridis*.

Cardueles inter se non rixantur nisi negligitur *distantia individualis*. Sed rixa plerumque tantummodo fit gestibus minacibus: aut rostrum aperiunt aut subrigunt pennas capitis. Pugnant „*tschrr*“ vocantes rostris caedentes et pedibus calcantes.



Penna alae aviariae

Systematica

Systematica externa

Eo quod per complures annos *subspecies carduelium asiaticae et europaeae* necnon tres species *Chloridis* (*Chloris chloris*, *Chloris spinoides*, *Chloris sinica*) in captivitate observatae sunt, examinatum est, num *Chloris sinica* esset coniunctio systematica inter *Chlorides* et *Carduelem carduelem* facta. Ex disquisitione conclusum est *Carduelem carduelem* nullâ peculiaritate ethologicâ similem esse *Chloridi sinicae*.

Itaque variae subspecies speciei, q.e. *Carduelis carduelis*, et tres species generis, quod est *Chloris*, disquisitae sunt duo greges intra se conclusi interque se sine formis transitualibus separati generis *Carduelis*.

Ipsa ADN (*Acido DesoxyriboNucleinico*) cytochromi b mitochondrialis disquisito inventum est genus, quod est *Loxia*, generi *Carduelis* esse perquam affine.

Praeterea *Carduelis carduelis* maximê affinis est speciei, quae prius appellata erat *Serinus citrinella*. Ut evitetur paraphylia, haec species nunc appellatur *Carduelis citrinella* eoque eidem generi attribuitur.

Item *Carduelis* affinis est *Chrysocorytho estherae* necnon generibus *Serinorum* et *Spinorum*.

Systematica interna

Secundum ITIS sunt duae subspecies:

- *Carduelis c. carduelis* (Linnaeus, 1758) est forma nominotypica.
- *Carduelis c. britannica* (Hartert, 1903)

Alii autem fontes putant maiorem esse numerum subspecierum. Aliqui fons indicat *quattuordecim* subspecies:

- *Carduelis c. carduelis* (Linnaeus, 1758) est forma nominotypica. Quae incolit Europam borealem, mediam, orientalem.
- *Carduelis c. parva* Tschusi, 1901 colore obscuriore est quam forma nominotypica et est subspecies minima. Quae vivit in Europâ austro-occidentali et Africâ boreo-occidentali.
- *Carduelis c. tschusii Arrigoni degli Oddi*, 1902 est latere superiore fortius griseofusco quam forma nominotypica et praeterea latere inferiore, quod est colore fuscior. Quae incolit Corsicam, Sardiniam, Siciliam.
- *Carduelis c. britannica* (Hartert, 1903) habet tegimen obscurius et minus rubrofusum. Pectus et latera sunt fusciora, colores capitis albi et rubri sunt minus purê albi et minus fortes. Haec subspecies vivit in Britannîâ Magnâ et Hiberniâ.
- *Carduelis c. balcanica* Sachtleben, 1919
Latus superius est colore magis griseo, simile, sed minus obscurum. Quae incolit Paeninsulam Balcanicam et Cretam.
- *Carduelis c. loudoni* Zarudny, 1906 in latere superiore et in lateribus pectoralibus est obscuro colore terreno-fuso. Haec subspecies vivit in Perside boreali et Transcaucasiâ. Quae complectitur etiam subspeciem, c.n. *Carduelis c. brevirostris*, quae prius fuit sui iuris.
- *Carduelis c. brevirostris* Zarudny, 1889 habet tegimen fuscior et minus griseum. In cervice habet maculam albam. Incolit Chersonesum Tauricam et Caucasum.
- *Carduelis c. colchica* Koudashev, 1915
- *Carduelis c. volgensis* Buturlin, 1906
- *Carduelis c. frigoris* Wolters, 1953 complectitur etiam subspeciem, c.n. *Carduelis c. major*, quae prius fuit iuris sui proprii.
- *Carduelis c. major* Taczanowski, 1880 rostro est longiore et est subspecies maior. Uropygium album est latê extensum. Quae subspecies *Carduelium* vivit in Sibriâ.
- *Carduelis c. caniceps* Vigors, 1831 personâ faciali est tantummodo rubrâ, quae expers est lineamentorum alborum atque nigrorum. Regio distributionis complectitur terras a Perside usque ad Mongoliam sitas, ubi haec subspecies praecipuê vivit in regionibus altioribus.
- *Carduelis c. niediecki* Reichenow, 1907 est pallidior quam *C. c. tschusii*, sed ceteroquin eidem similis. Quae subspecies vivit in Insulis Aegeis, Cypro, Anatoliâ occidentali et centrali. Verisimile est eandem subspeciem inveniri etiam in Perside boreo-occidentali et versus meridiem usque ad Israeliam.
- *Carduelis c. paropanisi* Kollibay, 1910 incolit Asiam centralem.
- *Carduelis c. subulata* (Gloger, 1833) vivit in Turcestaniâ.
- *Carduelis c. ultima* Koelz, 1949 incolit Persidem.

Tertius fons indicat duodecim subspecies et duas species:

- *Carduelis carduelis*: Insignes sunt cervix nigra et dorsum fuscum. Regio distributionis rpertingit ab Europâ orientali usque ad Sibiriam occidentalem. Versus orientem magnitudo augetur, color deminuitur.
 - *Carduelis c. carduelis* est forma nominotypica.
 - *Carduelis c. parva*
 - *Carduelis c. tschusii*
 - *Carduelis c. britannica*
 - *Carduelis c. balcanica*
 - *Carduelis c. major*
 - *Carduelis c. niediecki*
 - *Carduelis c. brevirostris*
 - *Carduelis c. loudoni*
 -



Carduelis c. câniceps

- *Carduelis câniceps* (Vigors, 1831): Insignia sunt occipitium et dorsum griseo-fusca. Etiam latera et pectus sunt griseo-fusca. Rostrum est longius et gracilius, persona rubra minor et non pertingit usque ad frontem. Gula, venter medius, uropygium sunt albi coloris. Partes finales *pennarum remigum primariarum* sunt obscurae. Pullo deest persona facialis rubra. Pennae sunt uniformiter griseo-fuscae cum lineolis obscuris. Regio distributionis principalis sita est in Asiâ mediâ. Subspecies praecipuê inter se differunt magnitudine.
 - *Carduelis c. caniceps* est forma nominotypica et subspecies minima. Pennae eius in latere superiore et inferiore sunt distinctê obscuriores et in lateribus capitis habet minus albedinis quam in latere inferiore. Quae subspecies incolit regiones boreales a Pacistaniâ usque ad Nepaliâ et Himalayam.
 - *Carduelis c. subulata* est subspecies maxima et lucidissima. Quae vivit in Sibirîâ a flumine *Jenissei* usque ad *Montes Altaicis*.

- *Carduelis c. paropanisi* est aliquanto minor et obscurior quam *C. c. subulata*. Haec subspecies incolit Persidem et Afghanistaniam.

In Sibiriae occidentalis parte australi, in Perside boreo-orientali, in Perside austro-occidentali colore pennarum significatur mixtura duorum gregum, ut status *specialis* ipsius *Carduelis c. canicipitis* adversus aspectum insignem nondum est officialiter comprobatus et adhuc in dubium vocatur.

Populatio

Regio carduelium globalis aestimatur complecti 15.800.000 km². Numerus carduelium universalis satis graviter variatur. Secundum IUCN (*Internationalis Unio Conservationis Naturae*) in summâ ubique terrarum vivunt circiter 75.000.000 - 350.000.000 individuorum. Itaque haec species non putatur in periculo esse, ne emoriatur (LC).

Populatio europaea prolifica minor est dimidiâ parte distributionis universalis. Quae populatio est valdê magna; complectitur enim plus 12.000.000 paria. Cum eadem esset inter a.1970 et 1990 stabilis, inter a.1990 et a.2000 in nonnullis terris factae sunt deminutiones, praesertim in Turciâ. Tamen numeri carduelium in maximâ parte Europae manserunt stabiles aut sunt exaucti. Quia populatio tota stabilis est, carduelis officialiter dicitur *secura*.

Carduelis carduelis secundum §7 Incisum 2 Nr.13 b) bb) *Lêgis naturae protegendae foederalis* est species, quae in Germaniâ specialiter protegatur. Quae fuit *Avis Anni 2003* in Helvetiâ, quia usu venenorum pesticidalium nutrimenta carduelium sunt deleta. In Insulâ Melitâ secundum conventum *Communitatis Europaeae diei 19. m.Sept. a.1979*, quod spectat ad plantas bestiasque europaeas feras earumque biotopos conservandos et cui assensit Melita a.1994, lêge licet cardueles capere a d.1. m.Sept. usque ad d.31. m.Ian. Reverâ autem haec permissio adhibetur ad spatium temporis a d.1. m.Oct. ad d.10.m.Apr. secundum ius Melitense. Cardueles venando et decipulis ponendis („trapping“) capiuntur vivae, ut postea in parvis caveis privatim colantur aut veneunt in mercatu avium *Vallettae* capitis Insulae Melitae.

CARDUELIS ET HOMO

Etymologia et denominatio

A.1758 Carolus Linneus *Carduelem carduelem* appellavit *Fringillam carduelem*. Genus ornithologicum, quod nuncupatur **Carduelis**, introductum est a *Mathurin-Jacques Brisson* (a.1760). *Carduelis* derivatur a *carduo* plantâ aculeatâ. Nomen theodiscum, q.e. *Distelfink* (mesotheodiscê *distelvinke*, *distelvinkelîn*) item spectat ad semina carduorum, quae carduelis praefert devoranda; item francogallicum nomen, q.e. *chardonneret* (a *chardon* i.e. *carduus*) et nomen palaeogracum ἀκανθίς (ἀκανθουλλίς, ἀκαλανθίς), ab ἄκανθα „planta spinosa“ (cfr *acanthus*).



Carduelis

Nomen theodiscum q.e. *Stieglitz* (mesotheodiscê *stig(e)liz*, *stig(e)litze*) est mutuaticum: nam exortum est e slavica lingua: (cfr palaeobohemicê *stehlec*, et polonicê *szczygieł*, russicê *ščegól*). Verisimile est verbum slavicum originaliter fuisse huius avis nomen onomatopoeicum, i.e. imitamentum vocis carduelis.

Anglicum autem nomen, q.e. *goldfinch*, iam inest sermoni palaeoanglico apud Ælfricum Grammaticum (*goldfinc*). Cui respondet nomen theodiscum *Goldfink*, quod prius spectavit etiam ad carduelem, sed hodie potius adhibetur ad *Spinum tristem* aut *Pyrrhulam pyrrhulam* aut *Fringillam montifringillam* denominandas.

Nomina theodisca carduelis obsoleta sunt *Jupitersfink* et *Rotvogel*, latina *Aurivittis* et *Chrysomitres* (gr. χρυσο-μίτρης).

Mythologia

Medio aevo credebatur carduelis esse *talisma*, quo homo se contra pestem protegere posset. **Conradus Gesner** a.1554 in *Libro suo de Avibus scripto* dicit *Kiranidem* dicere carduelem adhiberi ad morbos sanandos: „*Zena, id est carduelis, assa et in cibo sumpta, iliacos et colicos perfecte curat, Kiranides*“. Cum carduelis crederetur attrahere morbos, talis avis caveae inclusa suspendebatur in conclavi hominis *tuberculosis* laborantis.

Nomen carduelis palaeograecum, q.e. ἀκαλανθίς sive ἀκανθίς fuit cognomen Dianae, sed in mythologiâ etiam est nomen filiae cuiusdam *Pieri*, rēgis Emathiae; *Pieridae*, filiae eiusdem rēgis, ausae sunt certamen cantandi facere cum Musis. Secundum *Ovidium* *Acanthis* propter istam audaciam mutata est in picam, secundum alios auctores in alias aves varias.

Andreas Iohannes Jäckel narrat apologum quendam, quâ explicatur eiusdem avis nomen bavaricum, q.e. *Zusammscharricht*: „*Cum Creator omnes aves, quas creavit, pigmentis pulchrê impinxisset, nulla avis restitit impingenda nisi carduelis. Tum Deus pigmentorum reliquias in orbe pictorio converrit, ut pingeret cardueli vestem multicolorem.*“

Ars figurativa – musica – bellae litterae



MARIA CUM CARDUELE

Pinxit Raffael Santi

1506–1507

pigmentis oleariis,

in tabula lignea

107 × 77,2 cm

Galleria degli Uffizi,

Florentiae



Pinxit Carel Fabritius

CARDUELIS est symbolum perseverantiae et fecunditatis et pertinaciae. Propter suum appetitum carduorum propterque colorem capitis carduelis in iconographiâ christianâ est symbolum passionis Iesu Christi, quod invenitur in multis Mariae imaginibus et quadamtenus praenuntiat Christi crucifixionem.

Carduelis persaepe apparet in picturis mediï aevi et novae aetatis ineuntis, sed etiam in imaginibus passionis Christi necnon exornat imagines infantium et tapeta texta.

Saepe exhibetur carduelis in imaginibus Matris Mariae et Iesu infantuli aut Sanctae Familiae, in quibus Iesus infantulus manu tenet carduelem. Exempla talium picturarum picta sunt ab *Ambrosio Lorenzetti*, *Cima da Conegliano*, *Raffael*, *Tiepolo*. In imagine, c.t. *Maria Mater Cattae (Madonna della gatta)* a *Friderico Barocci* (ca.1535-1612, *National Gallery*, Londinii) pictâ puer Iohannes Baptista manu tenet carduelem, ne eadem avis nimis propinqua sit cattaee cuidam cupidae. Cum carduelis sit symbolum Passionis Christi, habetur pro ave „purâ“. Itaque eadem interdum a pictoribus pingitur unâ cum muscâ, quae est symbolum *corruptionis et putredinis*.

Pictura, c.t. „*Carduelis*“, a *Carello Fabritio* confecta est argumentum fabulae romanae anglicae scriptae, c.t. „*The Goldfinch*“ (i.e. „*Carduelis*“), cuius auctrix est *Donna Tartt* Americana.

Antonius Vivaldius Italus musicus illustrissimus in „*Quattuor anni temporum*“ *Concentûs Alterius* (Op.8 No.2, RV315) tactibus 72-77 *cantum carduelis* imitatur violinâ solâ. Praeterea Vivaldius composuit *Concentum D-Dur tiliarum*, c.t. „*Il Gardellino*“ (Op.10 No.3, RV428), cuius titulus italicus spectat ad *carduelem*.

Carduelis saepe commemoratur in europaeis litteris traditis. In *Fabulis Cantuarianis* („*Canterbury Tales*“) a *Geoffrey Chaucer* anglicae scriptis coquus describitur his verbis: „*as merry as a goldfinch in the woods*“ (*tam hilaris quam carduelis in silvâ*).

Iohannes Keats poeta lyricus de *carduele* scribit hos versûs, qui sequuntur:

Linger awhile upon some bending planks
That lean against a streamlet's rushy banks,
And watch intently Nature's gentle doings:
They will be found softer than ring-dove's cooings.

Sometimes goldfinches one by one will drop
From low hung branches; little space they stop;
But sip, and twitter, and their feathers sleek;
Then off at once, as in a wanton freak:
Or perhaps, to show their black, and golden wings,
Pausing upon their yellow flutterings.

– **John Keats**

Carduelis cicurata

Carduelis quomodo colatur in caveâ

Usque in saeculum vicesimum *carduelis* propter colores suos saturos atque multiplices libenter colebatur in caveis. Postea demum in locum *Carduelium* aliae aves potius exoticae sunt suppositae. Praeterea saepius *cardueles* commiscebantur cum *avibus canariis* aliisque *Familiae Carduelinarum* avibus. Putabantur *Carduele carduele* cum *Linariâ cannabinâ* commiscendâ generari aves cantatrices optimae. Nonnullis decennis ante adhuc consulto inter se commiscebantur *cardueles* fortuito, ut exorerentur subspecies ignotae. E contrario hodie singulae subspecies plerumque servantur purae sine admixtione alienarum subspecierum.

Adhuc cardueles coluntur in caveis. Sed antequam aliquis talem bestiolam comparat, oportet primo certior fiat de eius indigentis, e.g. litteris specialibus perlectis.

Carduelis si aptê cibatur, coli potest et in caveâ (cuius longitudo sit minimum unius metri) et in volatorio* plantis instructo. Pabulum eius oportet sit variabile et constet praecipuê ex seminibus semimaturis maturisque herbarum ferarum. Fieri potest, ut *Carduelis carduelis* congregetur cum *Serino serino* et *Chloride chloride* et *Acanthide flammeâ* et *Spino spino*.

In Germaniâ e d.1. m.Iul. a.1888 prohibitum est, ne ova aut pulli carduelium ex nidis naturalibus eximantur neve mercatura fiat carduelium hõc modo acceptarum.





Conrad Gesner (1516-1565)

quem a.1564 pinxit Tobias Stimmer.

CONRADI GESNERI medici Tigurini Historiae Animalium Liber II. de Quadrupedibus oviparis. Tiguri 1554, De avibus. p.236, lin.56- p.237, lin.33:

Cardueles valent amoenitate vocis *Eberus & Peucerus*.

Carduelis avicula Germanis *Distelfink* dicitur, quod carduis insideat: apud quosdam vero *Stigelitz* ab imitatione vocis, *Albertus*.

Et alibi, carduelis omnia genera (quaterna innumbravimus in A.) musica, sed praecipue primum: Deinde secundum, eoque minus tertium, et minime quartum. Carduelium genera omnia gregatim volant, *Albertus*.

In caveis inclusas aliquando epilepsia laborare observavimus. Carduelis avicula etiam ultra vigesimum annum vivit. Moguntiae enim puer carduelem vidi, egressam vigintitres annos, cui singulis septimanis rostrum ac unguis praecidebantur, ut papaver cibum, potumque capere, et suo loco consistere posset. Cavea vero et carceribus suis exuta, quo locabatur, vel prona vel supina iacebat immota prorsus prae aetate, et ad volandum inepta, et iam iam propemodum pennis genuinis immutatis cana effecta, *Iustinus Goblerus in epistola ad me*.

D.

Cardueles imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus et ore pro manibus, *Plinius 10,42*.

Nollem cardueles devorari, plus enim voce quam patina hominem delectant, et pedibus atque ore pro manibus utuntur; ut is quem in cubiculo *Francisci Gonziaci Cardinalis*, cibum ac potum duobus vasculis aequilibris funiculo ad se trahentem, cum voluptate pariter et admiratione cernimus, *Platina*.

Carduelis ergastulo clausa suppositam aquam ab imo per filum vasculo suspenso, ad se rostro trahit, pedique filo interdum supposito cum attigerit vasculum sitim potu sedat, *Author libri de nat. rerum*.

Carduelium genera cornu (vasculum) a caveis, ubi includuntur, dependens, rostro trahunt ut bibant, sed cum biberint temere decidere sinunt, *Albertus*.

Non una solum ex avium genere quae carduorum seminibus vescuntur, imperata facit, et rostro ac pedibus pro manibus utitur, sed diversae spinivorae, nempe aurivittis (hanc ipse interpretatur vulgo dictam carduelem, et nobis *ein Distelfinck* et alia colore viridi (a quo et nomen ei Germanicum, *ein Grünling*) et miliaria, quam *linotam* nostrates appellant, hae omnes e duabus situlis vicissim ascendentibus et descendentibus, cibum ex una, et potum ex altera desumunt, (sumere assuescunt), *Turnerus*.

Cardueles domi in caveis aluntur multis annis propter cantum, novem interdum aut amplius annis, donec iam senecta deficient: et in mensas aliquando emissae cicures admodum se praebent. Quod si uterque sexus coniunctus fuerit, praesertim si spatium volandi eis negatum non sit, prolem procreant, nidificantque in ipsis zetis sive hypocaustis apud nos, et pullitiam educunt, quamquam rariuscule, pariunt autem ova septem vel plura.

E.

Carduelium genera omnia, cum carduis insident adeo sunt stulta, ut frequentes una post alteram laqueo in virgae extremitate ligato per collum attrahuntur, per foramen parietis post quem auceps lateat, non fugientibus caeteris. Similiter quando fissio ligno (amite) capiuntur, una haerente multae conveniunt iuvandi animo, et capiuntur. *Albertus*.

F.

Ficedularum, carduelium, et reliquarum avium minutarum caro, si pingues sint, modo non nidificent, boni alimenti est, *Platina*.

Zena, id est carduelis, assa et in cibo sumpta, iliacos et colicos perfecte curat, *Kranides*.



ALFREDUS EDMUNDUS BREHM
QUID SCRIPSERIT
DE CARDUELI

Carduelis elegans

*Carduelis elegans*¹ omnibus nôta, particeps generis paucarum specierum, Veteris Mundi indigena, insignis est rostro turbinato et acuto, paulo deorsum incurvo, in aciebus paulo intracto, pedibus brevibus, compactis, longidigitatis, pedibus incurvis, sed acribus unguibus armatis, alis acutis, quarum pennae longissimae sunt 5 priores, caudâ mediae longitudinis, leviter exsectâ, pennis laxis, quae sunt valdê versicolores. Taenia est tenuis circum rostrum sita, lorum, vertex medius, occipitium sunt coloris nigerrimi, frons, genae posteriores, gula colore fortiter carmesino, tempora et genae colore albo, cervix, umeri, dorsum colore flavulo, ingluvies et partes pectorales colore lucidê rubeolo-fusco, iugulum, uropygium, partes inferiores nondum memoratae colore albo, pennae alarum colore nigerrimo, quae (exceptâ primâ) sunt in tertiâ radice parte extra colore flavissimo, ante apicem scutulo albulo, versus partem posteriorem augescens, infra colore obscurê griseo, aciebus argenteo-albis, minora tegmina alarum superiora colore nigerrimo, media et maiora lucidê-flavo, pennae rectrices colore nigerrimo, pennae extremae intra maculâ albâ longitudinali, ceterae in apice scutulo albo ornatae. Oculus carduelis est coloris nucini, rostrum rubeolo-albi, in apice nigri, pes caeruleo-carnei.

Unus sexus alteri est tam similis, ut nullus ornithologus nisi exercitatissimus marem a feminâ distinguat magnitudine aliquantulo maiore, rubedine faciei aliquantulo latiore, nigredine et albedine capitis aliquantulo saturiore et puriore.

Pullis deest rubedo et nigredo capitis; eorum corpus superius est obscurê fuscum, corpus inferius est colore albo et maculis fuscis.

Carduelis adulta est longitudine 13, latitudine 22, alae longitudine 7, caudae longitudine 5 centimetrorum.

A Suetiâ mediâ carduelis invenitur in totâ Europâ, sed etiam in Insulâ Materiae, in Insulis Canariis, in Africâ boreo-occidentali, in magnâ parte Asiae, a Syriâ usque ad Sibiriam. In Insulâ Cubâ ab hominibus emissa efferavit. Intra hoc spatium distributionis videtur nullâ in regione deesse, augetur etiam culturâ pomorum exauctâ, generaliter se optimê accommodat ad varias condiciones, sed nequaquam ubique invenitur aequâ frequentiâ. In nonnullis regionibus est rara, in aliis saepe volat. *Bolle* ornithologus invênit carduelem in Insulâ Canariâ, ego in Andalusîa et Castiliâ frequentissimam; alii observatores in Graeciâ viderunt carduelium magnas copias. In Germaniâ autumno ineunte cardueles congregatae interdum terram pervolant agminibus, quae complectuntur aliquot centum aves. Prolem procreare

¹ Alfredus Brehm multa affert synonyma, theodisca et Latina: *Stieglitz, Distelzeisig, Kletterrothvogel, Gold- oder Jupitersfink, Trun, Stachlitz, Stachlick, Sterlitz, Gelbflügel*; synonyma Latina ornithologica: *Carduelis elegans, auratus, germanicus, septentrionalis, Fringilla carduelis, ochracea, Passer, Spinus, Acanthis carduelis*,

solent in regionibus, quae abundant silvis frondosis aut hortis pomorum. Carduelis non est incola silvae sensu stricto; nam potius quam arboreta continua et longiora vult incolere hortos et viridaria et viarum margines et prata aut loca similia, ibique solet etiam prolem procreare et curare.

Carduelis est perquam lepida, omnium exercitiorum corporis bene perita, inquieta, versatilis, sagax, versuta, gracilis et nitida et videtur bene scire, quantâ sit pulchritudine. Cum sit vera avis arboraria, haud libenter humum descendit, ubi aliquatenus scaevê se solet movere; e contrario tam bene scit coniti in ramos arboris quam *Parus*, ita se ab imo suspendit ex ramis vel tenuissimis et sic posita laborat per horae minutas. Volatus carduelis est levis et velox, formae undatae (sicut plerorumque fringillarum) neque pendens nisi carduelis vult desiderare. Ad quiescendum carduelis praefert summa culmina arborum aut fruticum, sed inquietior est, quam ut diutius maneat in eodem loco. Erga homines semper cautê se gerit, sed verecunda non est nisi iam experta est persecutionem. Cum aliis avibus solet vivere pacificê, sed non abstinet a quibusdam lasciviis. Vox carduelis lascivibundae optimê redditur nomine suo theodisco, q.e. „*Stieglitz*“; nam idem est onomatopoeicum sonorum, quos êdit et sedens et volans: »*Stigit*« et »*Pickelnit*« et »*Pickelnick ki kleia*«. Lenis sonus, q.e. »*Mai*« exprimit monitionem, asper sonus, q.e.»*Rârârârâ*«, est signum excitationis iniucundae. Pulli vocant »*Zif litzi zi*« eqs. Mas cantat, licet singuli toni eius aliquantulo superentur a tonis *Linnariae cannabinae*, fortiter atque iucundê, magnâ cum varietate et tam hilariter, ut amatores avium carduelem etiam cantionis causâ maximê aestiment. In captivitate cantat ferê per totum annum; in rerum naturâ non tacet nisi tempore pennas mutandi et tempestate spurcatissimâ.

Nutrimenta sunt semina varii generis, sed praecipuê betullarum, alnorum, nec minus carduorum sensu latissimo; itaque ibi, ubi crescunt cardui aut lappae, verisimile est etiam inveniri cardueles. *Bolle* autem: „*Nihil est*“ inquit „*lepidius quam manipulus carduelium, qui in caulibus iam marcescentibus carduorum sedentes huc illuc oscillantes ex latere florum albo rostris eximunt semina. Tum planta videtur iterum se exornavisse floribus, qui nunc coloribus suis etiam sunt pulchriores quam flores priores.*“ Talis avis apparet in carduorum fruticibus, aptê ad caput florale adhaerens nunc rostro longo atque acuto sedulê studet grana seminis abdita accipere devoranda. Aestate praeter grana comedit insecta, iisdemque etiam pullos cibât. Ergo carduelis homini prodest omni anni tempore et malis herbis deminuendis et insectis capiendis. Censores facinorum huius avis severiores cardueli obiciunt, quod capitibus carduorum negligenter tractandis auget carduorum distributionem et frequentiam, sed iidem obliviscuntur causam, quâ distribuuntur tales herbae malae, praecipuam non esse carduelem, sed ventum, ideoque hanc aviculam nitidam iniustê vituperant. Nidus carduelis est solidus, densê coactus artificiosê constructus, stat in lucidis silvis frondosis aut pometis, saepe in hortis et domibus propinquus, plerumque in altitudine sex vel octo metrorum supra humum, saepe in aliquâ furcâ ramorum et tam bene abditus, ut ex imo non conspiciatur nisi folia decidunt.

Lichenes arborum virides et muscus terrestris, subtiles radicae, culmuli marcidi, fibrae atque pennae, quae coniunguntur cum texturis insectorum, a carduele

adhibentur ad parietem externam fabricandam; vestimentum nidi internum constat ex stratis laneis floccorum cardui, quae tenui strato capillorum equinorum et saetarum porcinorum continentur. Femina est aedificatrix praecipua, mas eam delectat sedulê cantans, sed raro tantum ipsius laboris aedificandi est particeps. Femina parit quattuor quinqueve ova, quae sunt putamine tenero tenuique, longitudine 16 millimetrorum, crassitudine 12 millimetrorum, in recessu albo aut caeruleo-viridi parcê conspersa punctis violaceo-griseis, in obtusâ parte finali lineamento coroniformi insignia. Raro haec ova inveniuntur prius quam mense Maio, et verisimile est paria carduelium aestate semel tantum nidificare. Femina ôvis incubat sola idque per spatium 13 vel 14 dierum. Pulli teneri cibantur parvis larvis insectorum, maiores insectis et seminibus, etiam ii pulli qui iam evolaverunt, diutius a parentibus ducuntur et reguntur. Ut *Linaria cannabina*, sic etiam *Carduelis elegans* pullos suos cibant, si ante volatum suum primum caveae erant inclusi.

**HAEC HACTENUS VERBA QUAE ALFREDUS EDMUNDUS BREHM
FECIT DE CARDUELE.**

**HISTORIAM CARDUELIS
SCRIPSIT
LEO LATINUS**

